86. Figura B congruenter transmutari dr. figuræ A; si B ita secetur in partes, ut ex partibus rursum inter se compositis orta figura, congrua sit figuræ A.

87. Figura B transmutari dr. in speciem figuræ C. (v. g. in quadratum, rectangulum) si transmutetur congruenter alicui C.

88. Transferri sive transscribi figura dicitur, cum ei in alio plano, alia tota eidem congrua describitur.

89. Magnitudo A metitur accuratè sivè exquisitè magnitudinem B; sive accurata mensura est magnitudinis B, si magnitudine A ipsi B toties, quoties potest, (semel vel sæpius) applicatâ, nihil in ipso B supersit.

90. Magnitudo A metitur proximè (aut quantum ad sensum) magnitudinem B, sivè proxima mensura est magnitudinis B; si magnitudine A ipsi B dicto modo applicatâ, nihil sensile, aut notabile in ipso B supersit.

91. Metiri (mensurare) magnitudinem magnitudine dicimur, cum numerum, quo, sive secundũ quem (quoties) hæc illam (si opus est, in rectangulum transmutatam) vel accuratè vel proximè metitur, invenimus.

92. Area figuræ superficiariæ (soliditas solidæ) dicitur magnitudo ejus secundùm certam mensurã per numeros, vel accuratè, vel proximè expressa: sive est ipsa magnitudo figurata, absq; figuratione sive perimetro considerata.

93. Magnitudo magnitudini commensurabilis dr, (linea lineæ, angulus angulo, superficies superficiei, corpus corpori) si utriusq; mensura aliqua exquisita cõmunis dari potest: sivè si una eademq; mensura, accuratâ, utramq; metiri potest.

94. Incommensurabilis dr. magnitudo magnitudini, si nulla utriusq; communis exquisita mensura esse potest.

95. Linea lineæ potentiâ tantùm dicitur commensurabilis, (longitudine incommensurabilis) si quadrata earũ

inter